

ginalem non eodem modo se habebant patres, & pueri. In patribus enim originalis culpa expiata erat, secundum quod erat infectiva personae, remanebat tamen impedimentum ex parte naturae, pro qua nondum (1) fuerat plenarie satisfactum. Sed in pueris est impedimentum & ex parte personae, & ex parte naturae; & ideo pueris, & patribus diversa receptacula assignantur.

Ad secundum dicendum, quod Augustinus loquitur de penis quae debentur alicui ratione personae suae, inter quos mitissimam poenam habent qui solo originali peccato gravantur; sed adhuc est mitior poena eorum quos non impedit a perceptione gloriae defectus personae, sed solus defectus naturae, ut ipsa dilatio gloriae quaedam poena dicatur.

ARTICULUS III.

Utrum debeant tot receptacula distinguere.

1. Ad tertium sic proceditur. Videtur quod non debeant tot receptacula distinguere. Sicut enim receptacula debentur animabus post mortem pro peccato, ita & pro merito. Sed ratione meriti non debetur nisi unum tantum receptaculum, scilicet paradisus. Ergo nec ratione peccatorum debetur nisi unum receptaculum.

2. Praeterea. Receptacula assignantur animabus post mortem ratione meritorum, vel demeritorum. Sed non est locus in quo merentur, vel demerentur. Ergo unum tantum receptaculum debet eis assignari post mortem.

3. Praeterea. Loca poenalia debent respondere ipsis culpis. Sed non sunt nisi tria genera culparum, scilicet originalis, venialis, & mortalis. Ergo non debent esse nisi tria receptacula poenalia.

4. Sed contra. Videtur quod debeant esse multa quam assignentur. Aer enim iste caliginosus est daemoneum carcer, ut patet II. Petr. 111. nec tamen computatur inter quinque receptacula, quae a quibusdam assignantur. Ergo sunt plura receptacula quam quinque.

5. Praeterea. Alius est paradisus terrestris, & alius paradisus caelestis. Sed quidam post statum huius vitae ad paradisum terrestrum sunt translati, sicut de Enoch, & Elia dicitur. Cum ergo paradisus terrestris inter quinque receptacula non computetur, videtur quod sint plura quam quinque.

6. Praeterea. Cuilibet statui peccantium debet aliquis (2) locus poenalis respondere. Sed si ponatur aliquis in originali peccato decedere cum solo veniali peccato, nullum receptaculorum assignatorum ei competet: constat enim quod in paradiso non esset, cum gratia careret, sed eadem ratione nec in limbo patrum; similiter nec in limbo puerorum, cum in limbo puerorum non sit poena sensibilis, quae tali debetur ratione venialis peccati; similiter nec in purgatorio, quia ibi non est nisi poena temporalis, huic autem debetur poena perpetua; similiter nec in inferno damnatorum, quia mortali peccato caret. Ergo oportet ponere sextum receptaculum.

7. Praeterea. Diversae sunt quantitates praemiorum, & poenarum secundum differentias culparum, & meritorum. Sed infiniti sunt gradus culparum, & meritorum. Ergo infinita debent distinguere receptacula, in quibus puniantur, vel praemiantur post mortem.

(1) Al. fuit. (2) Al. deest locus. (3) Al. deest patet.

8. Praeterea. Anima quandoque puniuntur in locis in quibus peccaverunt, ut per Gregorium patet in IV. Dial. Sed peccaverunt in loco, in quo nos habitamus. Ergo hic locus debet computari inter receptacula, & praecipue cum aliqui in hoc mundo pro peccatis suis puniantur, ut supra distinct. xv. dixit Magister.

9. Praeterea. Sicut aliqui in gratia decedentes habent aliqua pro quibus sunt digni poena, ita aliqui in peccato mortali decedentes habent aliqua bona, pro quibus essent digni praemio. Sed decedentibus in gratia cum peccatis venialibus assignatur aliquod receptaculum, in quo puniuntur antequam praemia consequantur, scilicet purgatorium. Ergo & eadem ratione e contrario debet esse de illis qui in mortali peccato decedunt cum bonis operibus aliquibus.

10. Praeterea. Sicut patres retardabantur a plena gloria animae ante Christi adventum, ita & nunc a gloria corporis. Ergo sicut distinguitur receptaculum Sanctorum ante Christi adventum ab eo in quo nunc recipiuntur, ita debet receptaculum nunc distinguere ab eo in quo recipiuntur post resurrectionem.

SOLUTIO.

Respondetur dicendum, quod receptacula animarum distinguuntur secundum diversos status earum. Anima autem conjuncta mortali corpori habet statum merendi, sed exura corpore est in statu recipiendi pro meritis bonum, vel malum. Ergo post mortem vel est in statu recipientis finale praemium, vel est in statu quo impeditur ab illo. Si autem est in statu recipientis finale retributionem, hoc est dupliciter: vel quantum ad bonum, & sic est paradisus: vel quantum ad malum, & sic ratione actualis culpae est infernus, ratione autem originalis est limbus puerorum. Si autem est in statu quo impeditur a finali retributione consequenda; vel hoc est propter defectum personae, & sic est purgatorium, in quo detinentur animae, ne statim praemium consequantur propter peccata quae commiserunt; vel propter defectum naturae, & sic est limbus patrum, in quo detinebantur patres a consecutione gloriae propter reatum humanae naturae, qui nondum poterat expiari.

Ad primum ergo dicendum, quod bonum coniungit uno modo, sed malum multifarie, sicut patet per Dionysium IV. cap. de div. Nomin. & per Philosophum in II. Ethic. (cap. v. vel VII.) & propter hoc non est inconveniens, si locus bonae retributionis est unus, loca vero poenarum sunt plura.

Ad secundum dicendum, quod status merendi, vel demerendi est unus status, cum ejusdem sit posse mereri, & demereri: & ideo convenienter debetur omnibus unus locus. Sed eorum qui recipiunt pro meritis, sunt status diversi: & ideo non est simile.

Ad tertium dicendum, quod pro culpa originali potest aliquis puniri dupliciter, ut ex dictis patet, vel ratione personae, vel ratione naturae tantum: & ideo illi culpae respondet duplex limbus.

Ad quartum dicendum, quod aer iste caliginosus non assignatur daemoneibus quasi locus in quo recipiant retributionem pro meritis, sed quasi competens officio eorum, in quantum deputantur nobis ad exercitium: & ideo inter receptacula de quibus nunc agitur, non computatur: primo enim deputatur eis ignis inferni, ut (3) patet Math. XIV.

Ad quintum dicendum, quod paradisus terrestris per-

pertinet magis ad statum viatoris quam ad statum recipientis pro meritis: & ideo inter receptacula de quibus nunc agitur, non computatur.

Ad sextum dicendum, quod illa positio est impossibilis, ut in dist. 11. dictum est; si tamen esset possibilis, talis in inferno puniretur in aeternum. Quod enim veniale peccatum in purgatorio temporaliter puniatur, accidit ei in quantum gratiam habet adjunctam: unde si adjungatur mortali, quia est sine gratia poena aeterna puniatur in inferno. Et quia iste qui cum originali peccato decedit, habet veniale sine gratia, non est inconveniens; si ponitur aeternaliter puniri.

Ad septimum dicendum, quod diversitas graduum in poenis, vel praemiis non diversificat statum, secundum cuius diversitatem receptacula distinguuntur: & ideo ratio non sequitur.

Ad octavum dicendum, quod hoc quod animae separatae aliquando in loco nostrae habitationis puniuntur, non propter hoc est quod locus iste sit proprius locus poenarum; sed hoc fit ad nostram instructionem, ut earum poenas videntes tetrahmur a culpis. Quod autem animae existentes in carne hic puniuntur pro peccatis, non pertinet ad propositum: quia talis poena non trahit hominem extra statum merentis, vel demerentis. Nunc autem agimus de receptaculis quae debentur animae post statum meriti, vel demeriti.

Ad nonum dicendum, quod malum non potest esse pure absque omni commixtione boni, sicut bonum summum est absque omni commixtione mali: & ideo illi qui ad beatitudinem, quae summum bonum est, transferendi sunt, debent esse ab omni malo purgati: & propter hoc oportet esse locum in quo tales purgentur, si hinc non omnino purgati exeant. Sed illi qui in infernum detrudentur, non erunt immunes ab omni bono; & ideo non est simile: quia in inferno existentes praemium bonorum suorum recipere possunt in quantum bona praeterita eis valent ad mitigationem poenae.

Ad decimum dicendum, quod in gloria animae consistit praemium essentiale; sed gloria corporis, cum redundet ex anima, tota consistit in anima quasi originaliter: & ideo carentia gloriae animae diversificat statum, non autem carentia gloriae corporis: & propter hoc etiam idem locus, scilicet caelum empyreum, detur animabus Sanctis exiis a corpore, & conjunctis corporibus gloriosis; non autem idem locus debetur animabus patrum ante perceptionem gloriae animae, & post perceptionem ipsius.

QUAESTIO II.

Deinde quaeritur de suffragiis mortuorum: & circa hoc quaeruntur quatuor.

Primo. Utrum suffragia quae per unum fiunt, alii prodesse possint.

Secundo. Quibus prosint.

Tertio. Quae suffragia prosint.

Quarto. Quantum prosint.

ARTICULUS I.

Utrum suffragia per unum facta alii prodesse possint.

Quodl. 11. art. 16.

1. Ad primum sic proceditur. Videtur quod suffragia per unum facta alii prodesse non pos-

(1) Al. quia scilicet. Nicolai retinens quia, supplendum censet meritorium, & laudabile dici debet. (2) Vulgata prout. (3) Al. est solum via exeuntis.

sint. Gal. VI. 6. Quae enim seminaverit homo, haec et metet. Sed si unus ex suffragiis alterius fructum consequeretur, meteret ab aliis seminata. Ergo ex suffragiis aliorum nullus fructum consequitur.

2. Praeterea. Ad justitiam Dei pertinet ut unicuique retribuatur pro meritis: unde Psalm. LXXI. 13. Tu reddes unicuique secundum opera sua. Sed justitiam Dei deficere impossibile est. Ergo impossibile est quod unus ex operibus alterius juvetur.

3. Praeterea. Secundum eandem rationem est opus meritorium, & laudabile; (1) scilicet in quantum est voluntarium. Sed ex opere unius non laudatur alter. Ergo nec opus unius potest esse alteri meritorium, & fructuosum.

4. Praeterea. Ad divinam justitiam pertinet similiter bona reddere pro bonis, & mala pro malis. Sed nullus puniatur pro malis alterius, immo; ut dicitur Ezech. XVII. 20. anima quae peccaverit, ipsa morietur. Ergo nec unus juvatur per bona alterius.

Sed contra est quod dicitur in Psalm. CXXIII. 64. Particeps ego sum omnium timentium te &c.

Praeterea. Omnes fideles per charitatem uniti sunt unius corporis Ecclesiae membra. Sed unum membrum juvatur per alterum. Ergo & unus homo potest ex meritis alterius juvari.

QUAESTIUNCULA II.

1. Ulterius. Videtur quod mortui non possunt juvari ex operibus vivorum. Primo per hoc quod dicit Apostolus II. Corinth. V. Omnes nos oportet manifestari ante tribunal Christi, ut recipiat unusquisque propria corporis (2) quae gessit. Ergo ex his quae post mortem hominis geruntur, quando extra corpus erit, nihil ei accrescere poterit ex aliquibus operibus.

2. Praeterea. Hoc idem videtur ex hoc quod habetur Apocal. XIV. 13. Beati mortui qui in Domino moriuntur: & subdit: Opera enim illorum sequuntur illos.

3. Praeterea. Proficere ex aliquo opere (3) est solum in via existentis. Sed homines post mortem jam non sunt viatores, quia de eis hoc intelligitur quod legitur, Job XIX. 8. Semitam meam circumsepsi; & transire non possum. Ergo mortui de suffragiis alicujus juvari non possunt.

4. Praeterea. Nullus juvatur ex opere alterius, nisi sit aliqua vitae communicatio inter eos. Sed nulla communicatio est mortuorum ad vivos, secundum Philosophum in I. Ethic. cap. XI. Ergo suffragia vivorum mortuis non prosunt.

Sed contra est quod habetur II. Mach. XII. 46. Sancta, & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis solvantur. Sed hoc esset inutile nisi eos juvaret. Ergo suffragia vivorum mortuis prosunt.

Praeterea. Augustinus dicit in Lib. de cura pro mortuis agenda, cap. 1. Non parva est universae Ecclesiae, quae in hac consuetudine claret, auctoritas, ut in precibus sacerdotis quae Domino Deo ad ejus altare funduntur, locum suum etiam habeat commendatio mortuorum. Quae quidem consuetudo ab ipsis Apostolis inchoavit, ut dicit Damascenus in quodam sermone de suffragiis mortuorum sic dicens: Mysteriorum consuetudo discipuli Salvatoris, & sacri Apostoli in tremendis, & vivi fidei mysteriis memoriam fieri eorum, qui fideliter dormierunt, sanxerunt. Quod etiam patet per Dionysium in ult. cap. ccel. Hierarch. ubi ritum com-

memorat quo in primitiva Ecclesia pro mortuis orabatur, ubi etiam Dionysius asserit suffragia vivorum mortuis prodesse. Ergo hoc indubitanter credendum est.

QUÆSTIUNCULA III.

1. Uterius. Videtur quod suffragia per peccatores facta mortuis non prosint. Quia ut dicitur Joan. ix. 31. *Peccatores Deus non exaudit.* Sed si orationes eorum prodessent illis pro quibus orant, à Deo exaudirentur. Ergo suffragia per eos facta mortuis non prosunt.

2. Præterea. Gregorius in pastorali, part. 1. cap. x. dicit: *Cum is qui displicet ad intercedendum mittitur, irati animus ad deteriora provocatur.* Sed quilibet peccator Deo displicet. Ergo per peccatorum suffragia Deus ad misericordiam non (4) flecitur; & ita alia suffragia non prosunt.

3. Præterea. Opus alicujus magis videtur esse fructuosum facienti quam alteri. Sed peccator per opera sua nihil meretur sibi. Ergo multo minus potest alteri mereri.

4. Præterea. Omne opus meritorium oportet esse vivificatum, id est charitate informatum. Sed opera per peccatores facta, sunt mortua. Ergo non possunt per ea juvari mortui pro quibus fiunt.

5. Sed contra est quod nullus potest scire pro certo de altero, utrum sit in statu culpæ, vel gratiæ. Si ergo illa tantum suffragia prodessent quæ fiunt per eos qui sunt in gratia, non posset homo scire per quos suffragia coinquiret suis defunctis; & ita multi à suffragiis procurandis retraherentur.

Præterea. Sicut Augustinus dicit in littera, secundum hoc juvatur aliquis mortuus ex suffragiis, secundum quod dum viveret, meruit ut juvaretur post mortem. Ergo valor suffragiorum mensuratur secundum conditiones ejus pro quo fiunt. Non ergo differt, ut videtur, utrum per bonos, vel per malos fiant.

QUÆSTIUNCULA IV.

1. Uterius. Videtur quod suffragia quæ à vivis pro mortuis fiunt, facientibus non prosint. Quia si aliquis pro altero debitum solveret, secundum humanam justitiam, ipse à debito proprio non absolveretur. Ergo per hoc quod aliquis suffragia faciens debitum solvit pro illo pro quo facit, ex hoc à debito proprio non absolvitur.

2. Præterea. Unusquisque debet quod facit, facere meliori modo quo potest. Sed melius est juvare duos quam unum. Si ergo qui per suffragia debitum mortui solvit, à proprio debito liberatur, videtur, quod nunquam deberet aliquis pro seipso satisfacere, sed semper pro alio.

3. Præterea. Si satisfactio alicujus pro alio satisfaciens æqualiter prodesset sibi, ut ei pro quo satisfactio eadem ratione æqualiter valebit & tertio, si pro eodem satisfactio simul, similiter & quarto, & sic deinceps. Ergo unus posset una satisfactio pro omnibus satisfacere; quod est absurdum.

Sed contra est quod dicitur in Psalm. xxxiv. *Oratio mea in sinu meo convertetur.* Ergo eadem ratione & suffragia quæ pro aliis fiunt, facientibus prosunt.

Præterea. Damascenus dicit in sermone de his qui in fide dormierunt: *Quemadmodum unguento, vel alio*

(4) Al. reflectitur. (5) Al. Forte ad aliquid accidentale, vel accessorium consequens statum: ut dimissionem, vel diminutionem pœnæ. (6) Al. reddit mensuram. (7) Nicolai ordinata.

oleo sancto circumlinire volens infirmum, primo ille scilicet participat unctionem, deinde sic perungit laborantem; sic quicumque pro proximi salute agonizat, primum sibi ipsi prodest, deinde proximo. Et sic habetur propositum.

SOLUTIO I.

Respondeo dicendum ad primam quæstionem, quod actus noster ad duo valere potest. Primo ad aliquem statum acquirendum, sicut per opus meritorium homo acquirit statum beatitudinis. Secundo (5) ad aliquid consequens statum accidentalem, vel dimissionem pœnæ. Ad utrumque autem horum actus noster dupliciter valere potest: uno modo per viam meriti, alio modo per viam orationis. Et est differentia inter istas duas vias, ut in xv. dist. dictum est: quia meritum inniuitur justitiæ; sed orans impetrat petitem ex sola liberalitate ejus qui oratur. Dicendum ergo, quod opus unius nullo modo potest alteri valere ad statum consequendum per viam meriti, ut scilicet ex his quæ ego facio, aliquis mereatur vitam æternam: quia sors gloriæ (6) redditur secundum mensuram accipientis. Unusquisque autem ex suo actu disponitur, & non ex alieno: & dico dispositionem dignitatis ad præmium. Sed per viam orationis etiam quantum ad statum consequendum, opus unius alteri, dum est in via, valere potest, sicut quod unus homo impetrat alteri primam gratiam. Cum enim impetratio orationis sit secundum liberalitatem Dei qui oratur, ad omnia illa impetratio orationis se potest extendere quæ potestati divinæ subsunt (7) ordinate. Sed quantum ad aliquid quod est consequens, vel accessorium ad statum, opus unius potest valere alteri non solum per viam orationis, sed etiam per viam meriti. Quod quidem dupliciter contingit. Vel propter communicantiam in radice operis; quæ est charitas in operibus meritoriis: & ideo omnes qui invicem charitate connectuntur, aliquod emolumentum ex mutuis operibus reportant, tamen secundum mensuram status uniuscujusque, quia etiam in patria unusquisque de bonis gaudebit alterius: & inde est quod articulus fidei ponitur Sanctorum communio. Alio modo ex intentione facientis, qui aliqua opera specialiter ad hoc facit ut talibus prosint: unde ista opera quodammodo efficiuntur eorum pro quibus fiunt, quasi eis à faciente collata: unde possunt eis valere vel ad impletionem satisfactionis, vel ad quiddam hujusmodi, quod statum non mutat.

Ad primum ergo dicendum, quod messio illa est perceptio vitæ æternæ, sicut habetur Joan. iv. 36. *Et qui metit... fructum congregat in vitam æternam.* Sors autem vitæ æternæ non datur alicui nisi pro operibus propriis: quia etiam si aliquis alteri impetrat ut ad vitam æternam perveniat, nunquam tamen hoc fit nisi mediāntibus operibus propriis, dum scilicet precibus alicujus gratia alicui datur, per quam meretur vitam æternam.

Ad secundum dicendum, quod opus quod pro aliquo fit, efficitur ejus pro quo fit: & similiter opus quod est ejus qui mecum est unum, est quodammodo & meum: unde non est contra divinam justitiam, si unus fructum percipit de operibus factis ab eo qui est unum secum charitate, vel ab operibus pro se factis. Hoc etiam secundum humanam justitiam contingit, ut satisfactio unius pro alio accipiatur.

Ad tertium dicendum, quod laus non datur alicui

nisi secundum ordinem ejus ad actum: unde laus est ad aliquid, ut dicitur in I. Ethic. cap. xii. vel xviii. Et quia ex opere alterius nullus efficitur, vel ostenditur bene dispositus, vel male ad aliquid, inde est quod nullus laudatur ex operibus alterius, nisi per accidens, secundum quod ipse est aliquo modo illorum operum causa, auxilium, vel consilium præbendo, vel inducendo, vel quocumque alio modo. Sed opus est meritorium alicui non solum considerata ejus dispositione, sed etiam quantum ad aliquid consequens dispositionem, vel statum ejus, ut ex dictis patet.

Ad quartum dicendum, quod auferre alicui quod sibi debetur, hoc directe justitiæ repugnat; sed dare alicui quod ei non debetur, hoc non est justitiæ contrarium, sed justitiæ metas excedit, est enim liberalitatis. Non autem posset aliquis lædi ex malis alterius, nisi aliquid ei de suo subtraheretur: & ideo non ita contingit quod aliquis puniatur pro peccatis alterius, sicut quod emolumentum percipiat ex bonis alterius.

SOLUTIO II.

Ad secundam quæstionem dicendum, quod charitas, quæ est vinculum uniens membra Ecclesiæ, non solum ad vivos se extendit, sed etiam ad mortuos qui in charitate decedunt: charitas enim vita corporis non finitur: I. Corinth. xiii. 8. *Charitas nunquam excidit.* Similiter etiam mortui in memoriis hominum viventium vivunt: & ideo intentio viventium ad eos dirigi potest; & sic suffragia vivorum dupliciter mortuis prosunt, sicut & vivis, & propter charitatis unionem, & propter intentionem ad eos directam. Non tamen sic eis valere credenda sunt vivorum suffragia, ut status eorum mutetur de miseria in felicitatem, vel è converso; sed valent ad diminutionem pœnæ, vel aliquid hujusmodi, quod statum mortui non transmutat.

Ad primum ergo dicendum, quod homo, dum in corpore vixit, meruit ut hæc ei valerent post mortem, & ideo si post hanc vitam eis juvatur, nihilominus hoc procedit ex his quæ in corpore gessit. Vel dicendum secundum Joannem Damasc. in sermone prædicto, quod hoc est intelligendum quantum ad retributionem quæ fiet in finali judicio, quæ erit æternæ gloriæ, vel æternæ miseriæ, in qua quilibet recipiet solum secundum quod ipse in corpore gessit. Interim autem juvari possunt vivorum suffragiis.

Ad secundum dicendum, quod auctoritas illa expresse loquitur de sequela æternæ retributionis, quod patet ex hoc quod præmittitur: *Beati mortui qui in Domino moriuntur.* Vel dicendum quod opera pro eis facta sunt & quodammodo eorum, ut dictum est.

Ad tertium dicendum, quod quamvis animæ post mortem non sint simpliciter in statu viæ, tamen quantum ad aliquid adhuc sunt in via, in quantum scilicet eorum progressus adhuc retardatur ab ultima retributione: ideo simpliciter eorum via est circumsepta, ut non possint ulterius transmutari secundum statum felicitatis, & miseriæ; sed quantum ad hoc non est circumsepta, quin quantum ad hoc quod detinentur ab ultima retributione, possint ab aliis juvari, quia secundum hoc adhuc sunt in via.

Ad quartum dicendum, quod quamvis communicatio civilium operum, de qua Philosophus loquitur, non possit esse mortuorum ad vivos, quia mortui extra vitam civilem sunt; potest tamen esse eorum

In IV. Sent. Tom. V.

(1) Al. ministerii.

communicatio quantum ad opera spiritualis vitæ, quæ est per charitatem ad Deum, cui mortuorum spiritus vivunt.

SOLUTIO III.

Ad tertiam quæstionem dicendum, quod in suffragiis quæ fiunt per malos, duo possunt considerari. Primo ipsum opus operatum, sicut sacrificium altaris: & quia nostra sacramenta ex seipsis efficaciam habent absque opere operantis, quam æqualiter explent per quoscumque fiant, quantum ad hoc suffragia per malos facta defunctis prosunt. Alio modo quantum ad opus operantis; & sic distinguendum est. Quia operatio peccatoris suffragia facientis potest uno modo considerari, ut est ejus; & sic nullo modo meritoria esse potest nec sibi, nec alii: alio modo, in quantum est alterius, quod dupliciter contingit. Uno modo in quantum peccator suffragia faciens, gerit personam totius Ecclesiæ, sicut sacerdos cum dicit in Ecclesia exequias mortuorum: & quia ille intelligitur facere cujus nomine, vel vice fit, ut patet per Dionysium in xiii. cap. cœl. Hier. inde est quod suffragia talis sacerdotis, quamvis sit peccator, pro defunctis prosunt. Alio modo quando agit ut instrumentum alterius: opus enim (1) ministri est magis principalis agentis. Unde quamvis ille qui agit ut instrumentum alterius, non sit in statu merendi, actio tamen ejus potest esse meritoria ratione principalis agentis, sicut si servus in peccato existens quodcumque opus misericordiæ facit ex præcepto domini sui charitatem habentis. Unde si aliquis in in charitate decedens præcipiat sibi suffragia fieri, vel alius præcipiat charitatem habens, illa suffragia valent defuncto, quamvis illi per quos fiant, in peccato existant. Magis tamen valerent, si in charitate essent, quia tunc ex duabus partibus opera illa meritoria essent.

Ad primum ergo dicendum, quod oratio per peccatorem facta quandoque non est peccatoris, sed alterius: & ideo secundum hoc digna est ut à Deo exaudiatur. Tamen etiam quandoque Deus peccatores audit, scilicet quando peccatores petunt aliquid Deo acceptum: non enim justis solis, sed etiam peccatoribus Deus bona sua providet, ut patet Matth. v. non autem ex eorum meritis, sed ex sua clementia: & ideo Joan. ix. super illud: *Peccatores Deus non audit,* dicit Glossa, quod loquitur ut inunctus, id est non adhuc plene videns.

Ad secundum dicendum, quod quamvis ex parte ejus qui displicet, oratio peccatoris non sit accepta; tamen ratione alterius cujus vice, vel imperio agitur, potest esse Deo accepta.

Ad tertium dicendum, quod hoc quod peccator faciens hujusmodi suffragia nullum reportat commodum, contingit ex hoc quod non est capax talis profectus propter propriam indispositionem; & tamen alii qui non est indispositus, aliquo modo valere potest, ut dictum est.

Ad quartum dicendum, quod quamvis opus peccatoris non sit vivum, in quantum est ejus, potest tamen esse vivum in quantum est alterius, ut dictum est.

Sed quia rationes quæ sunt in oppositum, videntur concludere quod non differat, utrum quis suffragia procuret per bonos, vel per malos; ideo ad eas etiam est respondendum.

Kk.

Ad